

www.e-rara.ch

Werke

Chymista scepticus, vel, Dubia et paradoxa chymico-physica, circa spagyricorum principia, vulgò dicta hypostatica ...

Boyle, Robert

Genevae, 1677

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-28647>

Pars tertia.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien - von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material - from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes - des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CHYMISTÆ SCEPTICI

P A R S T E R T I A.



QUÆ hæcenus differui, *Eleutherie*, (inquit Amicus ejus) ostendisse tibi arbitror, Virum circumspexitum jure in dubium vocare posse ipsissimum illarum Suppositionum veritatem, quas Chymici æquè ac *Peripatetici*, sine probatione pro concessis sumunt, & à quibus Illationum, quas deducunt à suis Experimentis, Validitas dependet. Quare hac re confecta, quam ego (contra quam

Chymicus fortasse fecerit) præcipuam æquè ac difficillimam Pensi mei partem duco, tempestivum jam erit ad ipsorum Experimentorum Considerationem pergere, in quibus aded triumphos agere & gloriari consuevere. Atque hæc Examen tantò magis serium merentur, quod illi, qui ea allegant, tanta id facere soleant fiducia, jactantiaque, ut hæcenus omnium ferè Ordinum Viris imposuerint, ne quidem Philosophis, & Physicis ipsis, qui libros eorum legerint, vel ipsos sermocinantes audiverint, exceptis. Quidam quippe Viri docti maluerunt audacibus ipsorum Assertionibus fidem adhibere, quam molestias & expensas subire, quibus Veritatem eorum explorarent. Alii, quibus non deest curiositas veritatem Assertorum examinandi, peritia carent, & opportunitate cupidinem implendi. Et totus ferè Ordo Literarum, cum vident Chymicos (non contentos cum Schola mundum Cenologiis suspensum tenere) actu multa mirabilia præstare, & ea inter, Corpora Composita in diversas Substantias, quas superiorum seculorum Philosophi in ipsis contineri ignorabant, dispescere: Hæc, inquam, cum vident, audiantque, quanta cum fiducia Chymici asserant, Substantias à Corporibus Compositis, Ignis ope, impetratas, Vera esse earum Elementa, vel (ut ipsi loquuntur) *Principia Hypostatica*, pronis animis justum æquè ac modestum censent, ut, juxta *Logicorum* Regulam, Artifici in sua Arte credatur; maxime cum illa, quorum Naturam tam fidenter suscipiunt alios docere, non modò sint propriæ ipsorum peritiæ producta, sed ejus notæ, ut, quid de iis statuendum sit, alii ignorent.

Verum enim verò, licet (pergit *Carneades*) Chymici, hoc vel illo ex prædictis nomine, non modò delectare valuerint, & attonitos reddere, sed tantum non incantare sed etiam Eruditos; hujus tamen Artis non imperitis, quales tute egoque sumus, non ferendum est, ut difficilioribus Vocabulis audacibusve Assertionibus nobismet imponi sinamus; neque ut acies nostra ea luce præstringatur, quæ nos juvare duntaxat debebat in rebus eo clarius dignoscendis. Differunt illa, juvare posse Naturam in rebus producendis, & rerum productarum

Naturam intelligere. Vti videre est, multos qui possunt progignere sobolem; æquè nihilominus ignari sunt Numeri & Naturæ partium, inprimis internarum, quæ Infantis Corpus constituunt, ac illi, quos Natura nunquam Parentes fecit. Nec dubito, Te me excusaturum, si, ut gratias ago Chymicis pro iis, quæ mihi ostendit ipsorum *Analysis*, ita libertatem mihi sumam, mente non attonita, quot, & qualia ea sint, perpendendi: quasi, quicumque fat peritus est novum aliquid, à se ipso productum, nobis ostendendi, jus habeat fidem eorum omnium imponendi, quæ de eo docere ipsi visum fuerit.

Quare nunc ad Considerationem meam Generalem Tertiam progrediar, videlicet, Non liquere, *Ternarium* esse præcisè & Vniversaliter Distinctarum Substantiarum Elementorumve Numerum, in quæ Mixta Corpora per Ignem possunt resolvi. Hoc volo, non esse à Chymicis probatum, omnia Corpora Composita, quæ concedantur perfectè mixta, in Chymica eorum *Analysis*, singula in tres præcisè distinctas Substantias esse divisibilia, nec plures, nec pauciores, quæ spectari solent ut Elementares, vel tales eodem jure reputari possunt, quam quæ tales reputantur. Quam postremam Clausulam subnecto, ne objicias, quasdam ex Substantiis, quæ mox locus erit memorandi, non esse perfectè Homogeneas, proindeque nec Principiorum nomine dignas. Etenim quod mihi jam considerandum incumbit est, In quot Differentes Substantias, quæ eum specie quadam Elementaria Mixti Corporis Ingredientia admitti possunt, ipsum ope Ignis resolvi queat? Sintne verò singula horum Incomposita, mihi examinandum reservo, quando ad proximam Considerationem Generalem pervenero; ubi me evicturum spero, Substantias, quas Spagyrici non modò admittunt, sed asserunt esse Componentia Corporis in eas resoluti Principia, incomposita esse non solere.

Iam verò duo sunt Argumentorum genera, (pergit *Carneades*) quæ ad probabilitatem, ut videtur, Tertie meæ Propositioni conciliandam adduci possunt: Vnum eorum est Naturæ magis speculativæ; Alterum deductum ab Experientia. A priori ut ordiamur.

At, cum *Carneades* in eo esset, ut præstaret quod dixerat, *Eleutherius* sermonem ejus interrompebat, vultu subridente ipsum ita affatus: Nisi velis, ut cogitem, Proverbium illud, *Egregia ingenia fluxam habere Memoriam*, esse Rationi consentaneum, Tibique posse accommodari, nunc cum verberis in Considerationibus speculativis, quæ ad Numerum Elementorum referantur, oblivisci te non oportet, Te ipsum non ita pridem tradidisse & concessisse quasdam in Chymicorum Doctrinæ gratiam Propositiones, quas sine existimationis tuæ dispendio, existimare possim difficiliorese esse, quam quis vel ipse *Carneades* respondeat.

Non excidere memoria, regerit ille, Concessionem, quas innuis: sed etiam spes est, nec tibi excidisse, quibus illæ cautelis stipatæ fuerint, quando necdum Personam illam assumpseram, quam nunc sustineo. Verum, ut ut sit, ita differam, ut Tibi faciam satis, de Tertia mea Consideratione Generali, ut eorum non sim immemor, quorum me cupis recordari.

Quocirca;

Quocirca, ut secundum ejusmodi Principia, quibus tunc utebar, sermonem rursus instituiam, animadverto, (si Rationi consentaneum largiamur, supponere, ut tum faciebam, Elementa primitus consistere ex pusillis & primariis minutarum Materiæ partium in numerosa admodum & valdè sub invicem similia Corpuscula Coalitionibus) non esse absurdum concipere, Primarias ejusmodi Congeries plurium multò esse generum posse, quam Trium, vel Quinque; proindeque non opus esse, ut supponamus, in unoquoque Compositorum Corporum, de quibus agimus, tria præcisè Primitivarum ejusmodi Coalitionum, de quibus sermo nobis est, genera debere reperiri.

Atque, si, juxta hunc conceptum, notabilem numerum differentium Elementorum admittimus, fas mihi erit adjicere, valdè possibile videri ad constitutionem unius ordinis Mixtorum Corporum duo genera Elementarium posse sufficere (uti nuper Exemplum afferebam in isto adedè durabili Concreto, Vitro;) alium ordinem Mixtorum componi posse ex Tribus Elementis, alium ex Quatuor, alium ex Quinque, alium fortè ex multò pluribus: adedè ut, secundum hunc conceptum, numerus determinatus, ut est numerus Elementorum, assignari nequeat omnis generis Corporum Compositorum qualiumcunque, cum sit valdè probabile, quædam Concreta ex paucioribus, quædam ex pluribus Elementis constare, Quin imò impossibile non videtur, secundum hæc Principia, duo esse posse Mixtorum genera, quorum Vnum non contineat ullum ex omnibus iisdem Elementis, ex quibus constat alterum; uti sæpè in duobus patet vocabulis, quorum alterum nullam planè continet earum Litterarum, quæ occurrunt in altero; vel uti sæpè diversa Electuaria deprehendimus, in quibus nullum (Saccharo excepto) Ingrediens ullis eorum duobus est commune. Non hic excusiam, annon possit esse Copia horum Corpusculorum, quæ, eò quod sint Primaria, & Simplicia, Elementaria queant appellari, si plura eorum genera ad componendum quodvis Corpus convenirent, quæ etiamnum sunt libera, necdum cum Primariis Corpusculis aliorum generum contexta & implicita, sed exposita manent, ut à Principiis Seminalibus subigantur, & configurentur, vel à simili potente & Transmutante Causa, cujus vi ita inter se invicem, vel cum alicujus ex Corporibus partibus connectantur, ut Corpora Composita, quæ ingrediuntur, exindè resolvi in plura, vel alia Elementa possint, quam illa, quæ Chymici hætenus notarunt.

Quibus omnibus adjicere possum, quod, cum pateat ex eo, quod apud te observabam de Auri & Argenti perennitate etiam Corpuscula, quæ non sunt Elementaris, sed Compositæ Naturæ, Textura constare adedè ætatem ferente, ut in communi Corporum *Analysi*, à Chymicis per Ignem facta, dissolvi nequeant; non sit impossibile, licet tria tantum essent Elementa, majorem tamen esse posse numerum Corporum, quæ consueti Anatomix modi Elementaria arguere negant.

Verùm, inquit *Carneades*, cum, in tui obsequium, conjectans sim loquutus de Elementorum numero, tempus jam monet, ut expendamus, non ex quot Elementis possibile sit Naturam componere Mixta Corpora posse, sed (quousque

faltem communia Experimenta Chymicorum nos edocent) ex quot illa acta componat.

Dico igitur, mihi ex his non satis patere, ullum aliquem esse determinatum numerum Elementorum, quæ uniformiter in omnibus differentibus ordinibus Corporum, quæ perfectè Mixta concedantur, occurrant.

Atque, ut distinctius probetur hæc Propositio, primo loco expendendum proponam, Aliquot esse Corpora, quæ nunquam conspiciere potui, eò usque per Ignem divisa, ut Tres inde Substantiæ Elementares prollicerentur. Lubens (ut nuper dicebam *Philopono*) viderem fixum illud & nobile Metallum, quod nos Aurum appellamus, in Sal, Sulphur, & *Mercurium* separari. Atque, si quis subjicere se velit competenti mulctæ, si deficiat, ego cum lubentia, si res succedat ex voto, & pro istiusmodi Experimenti materia & impensis solvam. Non, quod post mea ipsius tentamina præfractè negare ausim, extrahi ex Auro Substantiam aliquam posse, quam ne Chymici Tincturam aut Sulphur ejus appellant, præstare queam, quæque Corpus restitans solito suo colore orbatum relinquat; Neque sum certus, non posse ex eodem Metallo verum fluidumque Argentum Vivum elici: sed, quod ad Auri *Sal* attinet, neque unquam vel illud conspiciere mihi datum, vel ex ullius fide digni Autopræ testimonio coargui, tale quid unquam separatum in *rerum natura* fuisse. Et quoad varios illos Processus, qui effectum istum promittunt, Materialia, quæ ad opus requiruntur, nimis aliquantum pretiosa ac sumptuosa sunt, quæ in Casibus consumantur non fundatis, quorumque successus non modò dubius est, sed & ipsa possibilitas nondum demonstrata. Artamen, quod maximè ab ejusmodi tentamentis me deterret, non sunt sumptus, sed certitudinis frustratio, quamvis successum sortirentur. Cum enim Aurei hujus Salis Extractio, in Chymicorum Processibus, præscripto per corrosiva Menstrua, aliorumve corporum Salinorum interventu sit præstanda, dubium homini cauto restabit, emergere Sal illud ex Auro ipso, an ex Corporibus Spiritibusve Salinis, ad id præparandum adhibitis. Ejusmodi quippe Metallorum Larvas sæpè Artificibus imponere, *Eleutherium* certus sum non adedè esse in Chymica hospitem, ut ignoret. Lubens quoque tria illa Principia separata viderem à pura Arena Virginea (ut vocant,) ab *Osteocolla*, ab expurgato Argento, ab Argento Vivo, ab adscititio ejus Sulphure liberato, à *Talco Veneto*, quod, diu licet in intenso admodum *Reverberio* tortum, in minutiores duntaxat particulas (non in Principia constituentia) dividere potui: quin quod in Igne Vitratio, nescio quamdiu, meo jussu detentum, eadem extraheretur figura, qua *Massula* ejus erant instructæ, quando imponebantur, licet in Colorem ferè *Amethystrinum* esset mutatum; & ab aliquot aliis Corporibus, quæ jam supervacaneum esset enumerare. Quamvis enim penitus affirmare non ausim, impossibile esse, hæc Corpora in sua *Tria Prima* resolvere; quoniam tamen nec mea ipsius Experimenta, nec satis fide dignum Testimonium hæctenus vel me docuit, quomodo ejusmodi instituenda sit *Analysis*, vel me convicit, reverà factum esse, libertatem mihi sumo fidem meam cohibendi, donec Chymici id probent, vel ejusmodi processus id quod obtinent præstandi tradant, qui intelligi & in praxim deduci queant. Dum enim affectant obscuritatem

ritatem istam *Enigmaticam*, qua Lectoribus editorum suorum de *Analytica* præparatione Auri, vel *Mercurii*, Processuum crucem figere solent, viros cautos admodum suspensos relinquunt, sintne discrepantes illæ Substantiæ, quas producere spondent, Principia verè Hypostatica, vel quædam duntaxat separatorum Corporum cum iis, quæ operationi adhibebantur, intermixtura: Vti id in apparentibus Argenti nec non *Mercurii* Crystallis est manifestum; qui, licet à nonnullis inconsultò istorum Metallorum Salia esse supponantur, planè nil nisi Corpotum Metallinorum cum Salinis *Aqua fortis*, aliorumve liquorum Corrosivorum, partibus mixtura sunt; uti exindè, quod in Argentum, vel *Mercurium*, ut antè erant, reduci rursus queunt, abundè liquet.

Non possum non fateri (ait *Eleutherius*) quod, licet Chymici ex fundamentis probabilibus affirmare queant, posse se ab Animalibus & Vegetabilibus sua *Tria Prima* impetrare, sæpè tamen miratus sui ipsos tanta cum fiducia obtendere, posse se omnia Metallina, aliæque Mineralia Corpora, in Sal, Sulphur & *Mercurium* resolvere. Est quippe dictum ferè Proverbiale inter nos ipsos Chymicos, qui Philosophi habentur, nosterque Gentilis, *Rogerus Bacon*, speciatim id suum fecit: *Facilius est Aurum facere, quam destruere*. Atque vereor Tecum, Aurum non esse unicum illud Minerale, ex quo Chymici frustra tentare solent Trium suorum Principiorum separationem. Novi equidem (pergit *Eleutherius*) eruditum * *Sennertum*, in eo ipso libro, ubi in se non suscipit causam agere Chymicorum, sed ipsorum & *Peripateticorum* Arbitrum, rotundè pronuntiare; *Salem omnibus inesse (Mixtis scilicet) & ex iis fieri posse omnibus in resolutionibus Chymicis versatis notissimum est*. Er pagina proxima, *Quod de Sale dixi, ait, idem de Sulphure dici potest*. Verum, bona ipsius venia, probationes valdè solidas ut videam, necesse est priusquam Generalibus adedè Assertionibus, utcunque audacter traditis, fidem adhibeam: quique de earum Veritate convincere me satagit, prius me doceat, oportet, veram, & praxi aptam rationem Sal & Sulphur separandi ab Auro, Argento, totque differentibus Lapidum generibus, quos intensus Ignis non in Calcem, sed Fusionem, reducit. Nec tantum Ego sum solus, qui nunquam ullum ex istis nuper-memoratis Corporibus ita resolutum videtim; sed † *Helmontius*, qui in Chymicis Corporum Anatomiiis, vel *Sennerto*, vel Me multò fuit peritior, alicubi affirmare non hæsitat *Scio ex arena, silicibus, & saxis non Calcariis nunquam Sulphur aut Mercurium trahi posse*. Imò § *Quercetanus* ipse, quamvis magnus Trium Primorum Hyperaspistes, hanc de impossibilitate Adamantes resolvendi Confessionem consignavit; *Adamas (ait) omnium factus Lapidum solidissimus, ac durissimus ex arctissima videlicet Trium Principiorum unione, ac coherentia, que nulla arte separationis in solutionem Principiorum suorum spirituatium disjungi potest*. Er sanè (pergit) *Eleutherius*; non modò lætabundus, sed non nihil inopinanter percipio, te ad concedendum propendere, Sulphur & finentem *Mercurium* posse ab Auro elici. Ni enim (uti dictio tua videtur innuere) Vocabulum *Sulphuris* capias sensu admodum laxo, dubitandum mihi, possintne Chymici nostri Sulphur ab Auro separare. Etenim quando facere te videbam

h. 3.

Experimentum

* *Sennert. lib. De cons. & dissens. p. 147.* † *Helmont. p. 409.* § *Quercet. apud Billich. in Thessato redivivo p. 99.*

Experimentum illud, quod invitasse te arbitror ab loquendum, uti faciebas, non judicabam Tincturam Auream verum esse Principium Sulphuris ab illo Corpore extracti, sed Aggregatum aliquarum ejusmodi intensè tinctarum Auri partium, quas Chymicus aliquis appellasset *Sulphur incombustibile*, quod plano sermone vix aliud sonare videtur, quam Sulphur non Sulphur. Et quoad Metallinos *Mercurios*, miratus non fuisset, etiam si verbis usus fuisset multò severioribus, cum de iis loquereris. Memini enim, cum aliquando in Veteranum celebremque inciderem Artificem, qui Chymici provincia apud magnum Regem diu sanctus fuerat, & etiamnum fungitur, honestatis ejus fama invitabat me, ut ab ipso peterem, ut mihi narraret ingenuè, unquamne inter multos suos labores reapse verum fluentemque *Mercurium* ex Metallis extraxisset. Cui quæstioni liberè respondebat, Se nunquam verum *Mercurium* ab ullo Metallo separasse, neque unquam id reverà à quoquam factum vidisse. Et licet Aurum inter omnia Metalla sit illud, cujus *Mercurium* Chymici maximè laborarunt extrahere, & quod à se extractum fuisse maximè jactitant; expertus tamen *Anglus Sala* in Spagyrica sua narratione septem Planetarum *Terrestrium* (hoc est, septem Metallorum) memorabile hoc Testimonium in rem nostram præsentem nobis reliquit: *Quanquam* (ait) &c. *Experientia tamen* (quam *sultorum Magistram* vocamus) certè comprobavit, *Mercurium Auri* adeò fixum, maturum, & arèle cum reliquis ejusdem corporis Substantiis conjungi, ut nullo modo retrogredi possit. Cui subjicit, seipsum multum laboris in eam rem insumpsisse, sed nunquam ullum ejusmodi *Mercurium* indè productum conspexisse. Et credò facilè, quod subnectit, *Se sapius vidisse, multas technas & imposturas fraudulentorum Alchymistarum fuisse detectas.* Etenim maxima eorum pars, qui ejusmodi Agyrras depercutunt, cum sint imperiti, vel creduli, vel utrinque culpandi, iis, qui aliqua instructi sunt peritia, multa vafricie, majori audacia, & nulla conscientia, facilè admodum est ipsis imponere: & propterea, licet multi *Alchymista* professi, pluresque viri conspicui mihi dixerint, ipsos fecisse, vel vidisse *Mercurium Auri*, hujusve vel alterius Metallii: attamen semper proclive mihi fuit vereri, vel Viros hosce molitos fuisse alios decipere; vel ea caruisse peritia, & circumspèctione, quæ sufficiebat ad seipsum à deceptione muniendum.

Revocas mihi in memoriã (ait *Carneades*) Experimentum quoddam, quod aliquando excogitabam, innoxie quosdam decipiendi gratia, ipsisque & aliis demonstrandi, quam parum superstruendum sit istorum Assertionibus, qui vel imperiti sunt, vel incauti, quando nobis narrant, se vidisse *Alchymistas Mercurium* ex hoc illove Metallo elicuisse. Atque, ut hoc eo liquidius redderem, Experimentum meum multò faciebam planius, compendiosius, & simplicius, quam sunt Chymicorum usitati Processus ad *Mercurios* Metallicos extrahendum; quæ Operationes cum passim magis sint elaboratæ, & intricatæ, ac tempus multò longius postulent, *Alchymistis* ad fallendum sunt opportuniore, proindeque spectantium suspitioni magis obnoxia. Atque id, in quo conabor Experimentum meum magis assimilare veteri *Analysi*, erat, quod non modò præ me ferebam, perinde ac alii, *Mercurium* ex Metallo, quod sub manu erat, extrahere,

sed

sed & amplum conspicui & inflammabilis Sulphuris copiam indè separatè. Capiò igitur ex ramentis Cupri drachmam circiter unam, vel duas, Communis Sublimati in pulverem redacti pondus æquale, & *Salis Armoniaci* ferè tantundem ac Sublimati: hæc tria probè commixta parvæ Phialæ, longo collo munitæ, vel, quod præstare deprehendo, Urinali Vitro immitto, quod (*Gasspicio* prius obturatum) ad noxios fumos cavendum gradatim convenienti igni carbonum accensorum, vel (quod pulchrius est, sed magis minatur Vitri fracturam) Flammæ Candelæ admoveo; & temporis aliquo (spatio elapso, fundo Vitri carbonibus accensis superimposito, vel Flammæ exposito, intra horæ circiter quadrantem, vel fortassis octavam, in Vitri fundo fluentem *Mercurium* percipies: atque, si tum Vitrum removeas, frangasque, *Mercurii* particulam, fortassis omnem, fortassis ejus partem in solidæ massæ potis reperies: reperies quoque, resistentem Massam, flammæ Candelæ admotam, promptè urere cum vicidante flamma, & post pauillum temporis (fortassè protinus) in Aëte ex viridi cæruleum colorem acquirere, qui cum sit color, qui Cupro, corpore ejus reserato, tribuitur, facilè est vulgo persuadere, hoc esse verum Sulphur *Veneris*, maximè cum non modò Salia supponi queant partim avolasse, & partim sublimata esse in superiorem Vitri partem, (cujus interior superficies iis communiter apparet dealbata) Metallum verò planè videtur destructum, cum Cuprum non amplius in Metallica, sed in Resinosæ Massæ forma appareat. Cum reverà hunc duntaxat in modum res se habeat, quod Salinæ partes sublimati, unà cum *Sale Armoniaco*, vehementi calore excitatæ, & efficaciores redditæ, Cuprum adoriuntur (Metallum, quod facilius corrodere possunt, quam Argentum) quo ipse minutæ partes *Mercurii* à Salibus, quæ ipsas tenebant disjunctas, liberatæ, & per Calorem huc illuc agitatæ, post varios occurfus, in conspicuam Liquores massam coeunt, & quod ad Salia attinet, quibusdam magis Volatilium in superiorem Vitri partem sublimatis, reliqua Cuprum corroduunt, cumque eo unita mirè Formam Metallicam alterant, larvantque, & cum ipso novum Concreti genus, Sulphuris ad instar inflammabile, componunt: de quo nil quidquam nunc dicam, cum te remittere possim ad diligentes illas Observationes, quas memini Dominum *Boyle* de insolito hoc viridi Aëris genere fecisse. Verum (continuat *Carneades* subridens) nosti, me non fuisse in Agyrtam exasciatum, ideoque ad resumendum personam Sceptici properabo, sermonemque, ubi me indè divertebas, pertexere pergam.

Proximo igitur loco considero, quod, uti Corpora quædam sunt, quæ ne quidem Tria Principia largiuntur; ita multa sunt alia, quæ in *Analysi* sua plura Tribus Principia exhibent; quodque idcirco Numerus Ternarius non est ille, qui Univerfalia & Adæquata Principia Corporum continet. Si admittas, quem apud te nuper habebam, Sermonem de primariis minutarum Particularum Materiarum Associationis, vix censebis improbabile, ex Corpusculis ejusmodi Elementaribus plura esse genera posse, quam Tria, Quatuor, vel Quinque, Ac, si concesseris, quod vix à quoquam negabitur, Corpuscula compositæ naturæ in omnibus Chymicorum Exemplis pro Elementaribus posse haberi, non video, cur

impossibile

impossibile existimes, quod uti *Aqua fortis*, vel *Aqua Regis*, instituit colliquati Argenti & Auri separarionem, licet Ignis id præstare non valeat; ita Agens inveniri possit adeò subtile, & potens, istorum saltem particularium Compositorum Corpusculorum respectu, quod ea resolvere in ista Simpliciora queat, undè constant; proindeque numerum distinctarum illarum Substantiarum augere, in quas mixtum Corpus fuit hætenus resolubile existimatum. Et, si verum hoc, quod nuper tibi recitabam ex *Helmontio* de operationibus *Alkæhest*, quod Corpora in alias, & numero & natura distinctas, Substantias dividit, quam Ignis, non parum meæ conjecturæ patrociniabitur. Sed adstringentes nos ipsos ejusmodi modis Corpora mixta resolvendi, qui jam non ignorantur à Chymicis, non absurdè, putem, quærere possumus, Vtrum, præter illa crassiora Elementa Corporum, quæ Sal, Sulphur, & *Mercurius* vocantur, non possint esse subtilioris naturæ Ingredientia, quæ ob extrémam suam parvitatem, & in seipsis invisibilitatem, per Vasorum Stillatitiorum juncturas, utut follicitè luto obductas, inobservata possunt elabi. Permittas enim, ut hoc apud te observem, quod, licet à Chymicis notatum non fuerit, conceptus tamen Physico perutilis in multis casibus esse poterit: videlicet, nos jure posse suspicari, Plura esse posse Corporum genera, quæ Sensuum nostrorum nulli Objectum sunt immediatum; quoniam videmus non modo minuta illa Corpuscula, quæ ex Magnete emanant, insolitaque illa præstant, quorum causa jure eum admiramur; sed *Effluvia* Succini, Electri, aliorumque Corporum Electricorum, licet per effecta in particularia Corpora, actioni eorum recipiendæ disposita, cadere videantur sub Visus nostri perceptionem, at tamen non immediatè efficiunt ullum ex Sensibus nostris, quæ Electrica, uti faciunt Corpora illa, sive parva, sive majora, quæ videmus, tangimus, gustamus, &c.

Sed, pergit *Carneades*, quia expectare potes, ut, Chymistarum ad instar, sensibilia Mixtorum Corporum Ingredientia duntaxat considerem, videamus, quid Experientia etiam, quoad hæc, nobis suggeret. Viderut itaque res satis dubia, annon possit ex Vvis, diversimodè versatis, plures distinctæ Substantiæ, Ignis ope, elici, quam ex majori numero aliorum Corporum mixtorum. Etenim Vvæ ipsæ, in Vvas passas exsiccata, distillatæque, largiuntur (præter *Alcali*, Phlegma, & Terram) insignem Empyreumatici Olei copiam, Spiritumque à Spiritu Vini valdè discrepantem. Vvarum quoque Succus, fermentationem non passus, alios distillatos Liquores suppeditat, quam Vinum. Succus Vvarum fermentatus *Spiritum Ardentem* exhibet, qui, satis rectificatus, totus flamma sic absumetur, ut planè nihil post se relinquat. Idem Succus fermentatus, in Acetum degenerans, largitur Spiritum acidum, & corrosivum. Idem Succus convasatus seipsum *Tartaro* stipat; ex quo, uti ex aliis Corporibus, Phlegma, Spiritus, Oleum, Sal, & Terra possunt separari: ne memorem Substantias, quæ ex ipsa Vite possunt extrahi, quasque probabile est ab iis differre, quæ a *Tartaro* separantur, quod Corpus est peculiare, cui pauca in Vniverso similia reperiuntur. Atque considerabo insuper, quod, qualemcunque in hoc exemplo vim agnoveris ad evincendum, esse quædam Corpora, quæ plura aliis Elementa suppeditent, vix negari queat, Majorem
Corporum

Corporum numerum, in Elementa divisibilium, plura tribus largiri. Præter illa quippe, quæ Chymicis visum est vocare *Hypostatica*, maxima pars corporum duo alia continent, Phlegma, & Terram, quæ cum æquè ac reliqua ad Mixtorum constitutionem concurrant, reperianturque æquè generaliter. ne dicam amplius, in ipsorum *Analysi*, non satis causæ video, cur à numero Elementorum excludantur. Nec sufficiet objicere, solito *Paracelsis* more, *Tria Prima* esse Elementa maximè utilia, Terram verò, & Aquam, inutilia, atque inertia. Elementa enim cum ita vocentur, quod Corpora Mixta constituent, res quæque, sub ratione, qua ingreditur Corpora, non qua est usui, affirmari vel negari deberet Elementum: & quoad objectam Terræ & Aquæ inutilitatem, expendendum, utilitatem, ejusve defectum, respectum duntaxat vel relationem *ad nos* denotare, ideoque præsentiam vel absentiam ejus intrinsecam rei naturam non alterare. Noxii dentes *Viperarum* sunt nobis, quantum ego quidem novi, inutiles; nec tamen partes esse Corporum eorum sunt negandæ. Atque arduum foret ostendere, quid amplius nobis utilitatis, quam Phlegma, Terraque, Stellæ incognitæ nobis afferant, quas recentia nostra *Telescopia* in multis albicantibus Firmamenti partibus nobis detegunt; nec tamen non possumus ea constituentes & insigniter grandes *Vniuersi* partes agnoscere. Præterea, siue immediatè utilia sint Phlegma & Terra, siue non, necessaria verò ad Corpus, undè separantur, constituendum; proindeque, si Corpora Mixta nobis non sunt inutilia, nec partes istæ constituentes, sine quibus istiusmodi Mixtum Corpus esse non potuisset, Inutiles nobis esse dici possunt: & licet Terra & Aqua non sint adeò conspicuè operativa (post separationem) ut sunt reliqua tria magis activa Principia; attamen hoc in casu non absere erit fortunatam *Meneni Agrippa* Fabulam recordari, de periculosa scilicet Manuum, & Pedum, aliorumque magis occupatorum Corporis Membrorum, adversus apparenter inertem Ventrículum seditione. Atque huc accommodare non incongrue possumus illam Apostoli ratiocinationem, alio licet consilio factam; *Si Auris dixerit, quia non sum Oculus, non sum Corpus; ideo ne Corporis non erit? Si totum Corpus Oculus esset, quid fieret de Auditui? Si totum esset Auditus, ubi Odamus?* Verbo dicam, quandoquidem Terra & Aqua æquè manifestò, & æquè univèrsim, ac reliqua Principia, facta Corporum resolutione, conspiciuntur esse Inredientia, ex quibus illa componuntur; & quandoquidem utilia sunt, si non immediatè nobis, vel potius Medicis, sunt tamen Corporibus, quæ constituunt; & hac ratione, liceat non nihil remotius, nobis inserviunt; Elementorum numero ea excludere, non est Naturam imitari.

Atque hic non possum non annotare, quod, cum potissimum Argumentum, à Chymicis adhiberi solitum, ad Terram & Aquam vilipendendum, easque prostituendum ut inutiles, indignasque, quæ Mixtorum Corporum Principiis annumerentur, sit hoc, quod illæ non sint instructæ Proprietatibus specificis, sed Qualitatibus duntaxat Elementaribus, quas tanquam viles & inertes suis sermonibus solent traducere: ego sat causæ non videam, quæ huic mori Chymicorum patrocinetur. Est quippe in confesso, Calorem esse Qualitatem Elementarem, ferè innumeras tamen res notabiles adminiculo Caloris perfici, iis est manifestum, qui

varia illa *Phænomena* probè considerant, in quibus exhibendis ille primas agit; nec quisquam est, qui minus ignorare hanc veritatem, eive diffidere debeat, quam Chymicus, cum omnes ferè operationes & productiones Artis ipsius præcipuè Caloris ope perficiantur. Et, quoad Frigus ipsum, propter quod Terram & Aquam adè vilipendunt, modo placeret ipsis evolvere *Anglicorum* nostrorum *Belgicorumque* Navigatorum in *Novam Zemblam* itinera, ibique perlegere, quam stupenda, mediante Frigore, confici queant, fortè non id adè despiciatui haberent. Ac, ne repetam quæ nuper ex *Paracelso* ipso tibi recitabam, qui intensi Frigoris beneficio docet Quintam Essentiàm Vini separare, hoc tantum nunc apud te observabo, Texturæ multorum Corporum, & animatorum, Conservationem adè dependere à conveniente motu, tum propriarum ipsorum partium fluidarum, laxiorumque, tum Corporum ambientium, Aëris puta, Aquæ, &c. ut non modo in Corporibus humanis videamus immoderatum vel intempestivum Aëris frigus (præsertim quando excelsa nimis ista Corporaprehendit) crebrò admodum Oeconomiam ipsorum conturbare, variosque morbos inducere; sed in solido ac durabili Corpore Ferri ipsius, in quo quis non expectaret, ut insignem ullam mutationem subitum Frigus produceret, tantam vim posse exferre, ut, si filum aliudve tenue frustum Chalybis capias, idque in Igne ad albicantem calorem reductum, postea lente in Aëre refrigerescere sinas, eandem ferè, quando frige factum est, duritiem sit habiturum, quam prius: cum si, quamprimum id ab Igne removeris, Aquæ frigidæ immergis, subitò refrigeratum, multò majorem, quam habebat antè, duritiem, quin imò manifestam etiam fragilitatem, sit acquisiturum. Ac ne hoc tribuas peculiari ulli Qualitati in Aqua, vel alio Liquore, Vinctuosave Materia, in qua candefactus ejusmodi Chalybs extingui solet, ut temperetur; Artificem valdè peritum novi, qui pluries Chalybem durat, ipsum in eo Corpore, quod nec liquor est, nec vel humidum saltem, subitò refrigerando. Istiusmodi Experimentum factum vidisse me memini. Ut sit, ex operatione, quam Aqua in Chalybem in ea extinctum exercet, sive id fiat ex ejus frigiditate, & humiditate; sive ex ullà ex ejus Qualitatibus: apparet, non semper Aquam esse Corpus tam iners & vile, ut Chymici nostri eam censeri vellent. Quodque de Caloris & Frigoris efficaciã dixi, forsan satis facilè ulterius posset extendi aliarum Animadversionum & Experimentorum adminiculo, nisi quod, cum in transcurso tantum id tetigerim, isti Argumento immorari non debeam, sed ad aliud subjectum progredi.

Sed (prosequitur sermonem *Carneades*) licet manifestum existimem, Terram & Phlegma accensenda esse Elementis, quæ maximam partem Animalium & Vegetabilium Corporum constituunt, non tamen hoc solo nomine judicem, in plures tribus Substantias diversa Corpora posse resolvi. Suppetit quippe mihi par Experimentorum, quæ aliquando feci, ut ostenderem, saltem quædam Mixta in plures quam quinque Distinctas Substantias posse resolvi. Vnum Experimentorum, quamvis mihi erit opportunius id paulo infra plenius commemorare, interim tamen hanc ejus partem tibi nunc narrabo; Quod ex duobus Distillatis Liquoribus, qui Elementa habentur Corporum, undè eliciuntur, facere absque

addita.

additamento possum verum Sulphur, flavum, & inflammabile, non obstante, quod duo Liquores postmodum distincti remanent. De Experimento altero, quod fortassè non erit Observatione tua penitus indignum, oportet, ut particularem hanc Narrationem tibi referam. Diu observaveram, facta diversorum Lignorum, tum in vulgaribus, tum in inusitatis quibusdam generibus vasorum, Distillatione, copiosum illum Spiritum, qui transcendebat, præter acrem Sapore, in Empyreumaticis multorum aliorum Corporum Spiritibus deprehensum, Aciditatem habuisse, illi, qui est in Aceto Vini, ferè similem: quare suspicabar, quod, licet acidus Liquor, distillatus, exempli causa, ex *Buxo*, spectetur à Chymicis ut merus ipsius Spiritus, ideoque ut unum singulum Elementum, Principiumve, reapse tamen ex duabus Substantiis Distinctis constet, inque ea resolvi possit; proindeque quod ejusmodi Ligna, aliaque Mixta, quæ tali Aceto abundant, constare dici possint uno amplius Elemento, Principiove, quam Chymici hæctenus notarunt. Quare mecum reputans, quomodo fieri posset duorum horum Spirituum separatio, mox deprehendebam, plures modos esse ipsum perficiendi. Sed, is, quem ex iis in præsentiarum memorabo, hic erat. Distillata *per se* quantitate aliqua *Buxi*, & subacido Spiritu lentè rectificato, ut eo melius tum ab Oleo, tum à Phlegmate dispecceretur, convenientem Coralliorum pulverisatorum copiam in Liquorem hunc rectificatum conjeci, expectans, ut Acida Liquoris pars Corallia corroderet, iisque sociata tam arctè hæreret, ut pars altera liquoris, naturæ non Acidæ, nec apta ad Coralliis adhærendum, sola ascendere permitteretur. Neque me decepit expectatio. Leniter quippe abstracto à Coralliis Liquore, Spiritus, gravi odore, & sapore admodum penetranti instructus, absque omni tamen Aciditate, transcendebat, inque diversis Qualitatibus, non modò ab Aceti, sed à quodam ejusdem Ligni Spiritu, quem, acido suo ingredienti non orbatum, de industria asservaveram, manifestè discrepabat. Atque, ad certum te reddendum, duas hæc Substantias valdè differre, plura Tentamina à me facta edocere te possem; sed quædam ex iis sunt, quæ nominare mihi fas non est, cum facere id nequeam: nisi aliqua intempestivè prodam. Attamen hoc tibi nunc dicam, acidum *Buxi* Spiritum non tantum, ut modo retuli, Corallia dissolvere, quæ alter aggredi negabat, sed Sali *Tartari* superinfusus protinus cum sibilo ebulliebat, cum alter è contra immotus super ipso restitaret. Acidus Spiritus, *Minio* superinfusus, Saccharum *Saturni* conficiebat, quod alterum præstare non deprehendebam. Quædam penetrantis hujus Spiritus guttæ, cum quibusdam cærulei Violarum Syrupi guttis mixtæ, diluere, potius, quam alia ratione alterare colorem videbantur; cum, è contra, Spiritus Acidus Syrupum in colorem subrubentem mutaret, & probabiliter in colorem planè rubentem, ut Acida Salia facere solent, mutasset, ni fuisset Operatio ejus, alterius Spiritus mixtura, impedita. Pauca guttæ compositi Spiritus in insigniorem Infusi *Ligni Nephriticæ* copiam excussæ, è vestigio totum colorem Violaceum abolebant, cum alter Spiritus eum tollere recusaret. Quibus omnibus adjici posset, quod, cum, Experimenti ergo, aquam limpidam Coralliis affudissem, quæ in Vitri fundo restitabant, in quo duplicem Spiritum, (si ita vocare eum licet) pri-

mitus à *Buxo* abstractum, rectificaveram, deprehendi, ut exspectabam, Acidum Spiritum reverà Corallia dissolvit, & cum iis se coagulasse. Etenim, affusa Aqua pura, Solutionem obtinebam, quæ (ut in transcurso id ceu singulare quid notem) rubra erat, undè Aqua evaporata, Substantia solubilis remanebat, communi Sali Coralliorum valdè similis, uti Chymicis visum est Magisterium illud Coralliorum nuncupare, quod parant, dum ea in vulgari Aceti Spiritu dissolvunt, *Menstruamque ad Siccitatem* abstrahunt. Nescio, an subnectere debeat hac occasione, simplicem *Buxi* Spiritum, si Chymici eum idèd Salinum esse volunt, quod linguam fortiter ferit, novum nobis Salinorum Corporum genus, ab hæcenus observatis discrepantium, suppeditare. Cum enim ex tribus præcipuis Salium generibus, Acido, Alcalizato, & Sulphureo, nullum sit; quod cæterorum utrique sit amicum (uti brevi occasio mihi dabitur ostendendi) non deprehendi, nisi quod simplex *Buxi* Spiritus amicè admodum (quantum saltem mihi occasio erat experiundi) cum Acido reliquisque Salibus convenire. Licet enim planè quiesceret cum Sale *Tartari*, Spiritu *Vrinae*, aliisque Corporibus, quorum Salia vel Alcalizata vel fugacis erant naturæ; attamen nec ipsius Olei *Vitrioli* Mixtio ullum sibi- lum vel effervescentiam producebat, quam nosti acidissimi illius liquoris Affusionem, in alterutrum Corporum nuper memoratorum factam, subsequi solere.

Me tibi devinctum arbitror, inquit *Elemb.* pro hoc Experimento, non modò quia prævideo, te id in rem versurum illius, quæ nunc sub manu est, Diquisitionis, sed quia Methodum nobis docet, qua numerosum novorum Spirituum genus possimus parare, qui, licet magis sint simplices, quam multi ex iis, qui Elementares habentur, manifestò Qualitatibus imbuti sunt peculiaribus, potentibusque, quorum nonnulli insignem habere usum in Medicina poterunt, tam soli, quam rebus aliis associati: uti ex Solutionis istius Coralliorum, quam Spiritus tuus Acidus instituebat, rubedine, aliisque nonnullis tuæ Narrationis circumstantiis, cum spe successus conjectare licet. Atque putem ego (pergit *Eleutherius*) te ad faciendum Acidarum partium, in Spiritibus hisce compositis contentarum, à reliquis separationem non adèd ad adhibendum Corallia esse adstrictum, quin æquè uti possis quovis Sale Alcalizato, vel etiam Perlarum, vel Oculorum *Cancris*, ulliusve alterius Corporis, in quod communis Spiritus Aceti facilè agit, atque, ut *Helmontiana* Phrasi utar, seipsum exantlat.

Nec dum sum expertus, ait *Carneades*, cui usui dicti Liquores esse in Medicina possint, sive tanquam Medicamenta sive tanquam *Menstrua*: sed memorare nunc possem (quod & fortè aliàs fecero) plura illorum Experimentorum, quæ fieri curabam, ut mihi ipsi de duorum horum Liqueorum discrimine satisfacerem: nisi quod, uti admitto Opinionem tuam, quam mihi nuper narrabas circa Corallia, persuasum habeo te mihi permissurum, ut ex eo, quod jam dixi, hoc Corollarium deducam: Esse scilicet plura Composita Corpora, quæ resolvi in quatuor ejusmodi Discrepantes Substantias possunt, æquè nomen merentur Principiorum, ac illa, quibus Chymici lubentes id componunt. Quoniam enim id, quod ego Spiritum Compositum *Buxi* appello, pro Spiritu, vel, ut alii volunt, pro *Mercurio Ligni* illius habent, non video, cur Acidus iste Liqueor, & alter ille,

ille ; non debeant singuli , maximè posterior , digniores censerì , qui Principia Elementaria vocentur ; cum non possint non esse simplicioris Naturæ , quam Liquor ille , qui repertus fuit , in illum & Acidum Spiritum divisibilis. Atque ad hunc usum insuper (pergit *Carneades*) transferri hoc nostrum Experimentum poterit , quod suspicionem hanc nobis suggerat , cum scilicet Liquor , habitus à Chymicis citra controversiam , Homogeneous , tam levi opere in duo distincta & simpliciora Ingredientia dividi possit , peritiorem quendam feliciorèmq; Experimentorum Curatorem rationem invenire posse , vel horum Spirituum unum ulterius dividendi , vel resolvendi hunc vel illum (si non omnes) ex reliquis illis Mixtorum Corporum Ingredientibus , quæ hactenus inter Chymicos pro ipsorum Elementis Principiisve recepta fuerè.

CHYMISTÆ SCEPTICI

P A R S Q U A R T A.



TOVE hæc (inquit *Carneades*) dicta sufficiant de Numero distinctarum Substantiarum à Corporibus Mixtis , Ignis ope , separabilium : Progrediar nunc ad expendendum ipsarum Naturam , tibi ostensurus , quod , licet Corpora videantur *Homogenea* , non tamen ea sint puritate ac simplicitate prædita , quæ requisitum est Elementorum. Atque continenter pergerem ad Assertionis meæ probationem , nisi nimia Fiducia illa , qua Chymici unamquamque earum , de quibus sermo , Substantiarum insignire solent nomine Sulphuris , vel *Mercurii* , vel cæterorum ex *Principiis Hypostaticis* , & non ferenda Ambiguitas , quam sibi in Scriptis & Phrasibus suis permittunt , à me exigent , (ne scilicet vel tu de me hallucineris , vel opineris me hallucinari circa statum Controversiæ) ut apud te notem , & conquerar de iniqua illa Libertate , quam sibi sumunt cum Nominibus pro libitu ludendi. Et sanè , si obstrictus essem in hac Disputatione ad Phrasæologiam uniuscujusque Chymici sic attendere , ut nil quidquam scriberem , quod ab hoc vel illo Auctore obtendi non queat huic illive sensui non contradicere , quem pro re nata ambiguis dictis suis affingat , vix scirem , quomodo disputare , vel quo me vertere deberem. Reperio quippe etiam præclaros Auctores (quales sunt *Raymundus Lullius* , *Paracelsus* , & alii) aded terminis in se adhibitis abuti , ut sicuti aliquando rebus diversis idem nomen imponunt , ita sæpè rem unam multis nominibus insigniant , quorum etiam nonnulla (forte) sunt ejusmodi , ut multò magis propriè distinctum aliquod alterius generis Corpus significant. Quinimo in ipsis Vocabulis *Technicis* conturbanti huic